INDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE STUDIORUM JAGELLONICA

A DIE 1. OCTOBRIS ANNO MDCCCXVII.

AD MEDIUM MENSEM JULII ANNO MDCCCXVIII.

INSTITUENDARUM.

CRACOVIAE

TYPIS ACADEMICIS.

Civibus Litterarum Studiosis

S. P.

Universitatis Studiorum Jagellonicae Cracoviensis Rector

Valentinus Litwiński

Cum Senatu Academico.

Legum idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus (Cicero pro Cluentio 53) Nullam unquam cuique libertatem sine legibus fuisse illibatam, nemini dubium esse potest, nisi si quis licentiam effrenem et luxuriam perniciosam voluntatis, quae pro ratione stare soleat, pro justa et legitima libertate habere maluerit. Leges igitur sunt fundamentum libertatis, sine quo nulla civitas consistat. Attamen saepenumero non defuerunt homines temerarii, qui libertatem calumniarentur. Sic quoque ineunte Romanae civitatis libertate juvenes non tenui loco ortos et in his M. Junii Bruti primi Consulis filios contra patriam a Tarquinio Superbo liberatam conspirasse accepimus, quippe qui adolescentes more luxurioso vivere consueti, stolide conquererentur. (Liv. II. c. 2) libertatem aequato jure in suam servitutem versam fuisse, leges rem surdam, inexorabilem esse, salubriorem inopi, quam potenti, nihil laxamenti, nihil veniae habere, si modum excesseris. Periculosum esse in tot humanis erroribus sola innocentia vivere. En calumnias libertatis gravi poena patris in filios punitas, quarum animadversionem ipsi, Cives Academici, suo loco laudato evolvatis. At quod Deo Optimo Maximo summa cum gratiarum actione acceptum referimus, apud nos tam perversus fuit nemo, qui in legibus libertatem nostram positam fuisse doluerit. Nam quum tandem sub auspiciis Augustissimorum et Potentissimorum Imperatorum et Regum sereniori vultu fortuna secunda Nomini Polono affulserit, ut omnes ubique liberi esse juberentur, Cracovia vero Eorum Benigna Voluntate in liberae civitatis formam vindicata fuisset, nemo pejorem omni tyrannide pristini aevi licentiam desideravit, omnes pro certo autem habuerunt: sine legibus libertatem esse nullam, sive multorum potestati subditus liber dicatur populus, sive regio unius imperio sit obstrictus. Nam et sub Regibus et Imperatoribus Clementissimis libertatem esse ubique intactam, ubi legibus populus regatur, quis est, qui nesciat? Sic quoque Cracovia nostra sub Regibus ex stirpe Piastea et Jagellonica liberrima fuit, ita, ut sub illis Regibus Poloniae mitissimis Sec. XIV. XV. et XVI. foederi Hanseatico juncta comercio et mercatorio et literario inclaruerit. Verum quum Seculo XVII im-

imminuta regia potestate omnis in universo Poloniae regno pessum data fuisset libertas, sero evanuit Cracoviae gloria, atque cum salute publica interiit plerumque et privatorum felicitas. Quae et quanta autem libertas, vastata a Tartaris (a 1240—42) Polonia, a. 1257, a Boleslao Pudico primum, aut forsitan iterum Cracoviae jure Magdeburgensi concessa fuerit; id e Miscellaneis Cracoviensibus Fasc. II. p. 63—66. comperistis. Verum quum e vitiosis apographis exemplum privilegii editum esset, ex autographo idem exhibendum esse censuimus, cujus verba genuina sic habent:

In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Induidue Trinitatis.

Res favorabiles et instrumentis et testibus fama et facti evidencia valari condecet et muniri, ne oblivionis nubilo seu calumpnia valeant obfuscari. Cum igitur Congregatio hominum, que naturalis est, et dicitur, meritis justiciam fecerit: sicut justicia ipsa omnibus est favorabilis, et ipsa Congregatio pari vice, Intendentes ergo locare Civitatem in Cracouia, et homines inibi de diversis climatibus congregare; inculcamus auribus singulorum tam presentium, quam futurorum: Quod nos Boleslaus Dei gracia Dux Cracovie et Sandomirie una cum illustri matre nostra Grimizlawa, et Generosa nostra Conjuge Cunegundi, eo jure eam locamus, quo et Wratislaviensis Civitas est locata. Ut non quod ibi fit, sed quod ad Magdeburgensis Civitatis Jus et formam fieri debeat, advertatur. Ut si quando de hoc dubitatum fuerit, ad Jus scriptum a dubitantibus recurratur. In primis igitur hoc firmiter observari Volumus Advocatis nostris Gedeoni dicto Stylvoyt, Jacobo quondam judici de Niza, Dethmaro dicto Wolk in nostra presentia personali adstantibus inviolabiliter promittimus observandum: quod omnes Cives in ipsa civitate habitantes, infra sex annorum spacium nullum censum vel aliquam exactionem nobis dare vel facere debeant, de personis vel locis suis vel eidem Civitati pertinentibus, nisi de Cameris, ubi panni venduntur, et de cameris Institorum, que Crami vulgariter appellantur: de quibus postquam eas nostris sumptibus et laboribus locaverimus et edificaverimus, quia et hoc eis promisimus, quinque partes Census ad nos deveniente earundem, Advocati vero predicti sextam partem hereditarie percipient in eisdem. Hoc tamen non ex jure, sed ex nostra gracia speciali. Postquam vero transacti fuerint sex anni predicti, de qualibet Area tenebuntur nobis solvere dimidium lottum ponderis Theutonici Argenti, tum, cum solvendum fuerit, usualis. De carnificum tamen, Pistorum et Calcipariorum stacionibus jus et potestatem liberam dictis conferimus advocatis, id retinendi vel aliis pro ipsorum libitu perpetualiter conferendi, ita, quod Possessores dictarum Stacionum ab omni censu sint in perpetuum absoluti. Advocati vero in dicta Civitate finita libertate sextam Curiam de omnibus perpetualiter et libere optinebunt, non quod hoc ex jure, sed ex nostra gracia speciali. Similiter curiam aliam extra Civitatem, ubi pecora mactabuntur, libere et jure hereditario possidebunt. Concedimus et promittimus inviolabiliter observare; quod Advocati sepedicti libere et sine omni exactione et Theloneo nostro perpetualiter merces suas devehent, et transibunt per Universum nostrum Dominium et Ducatum.

tum. Alii vero inhabitatores ejusdem Civitatis per decem annos de eadem gaudeant libertate. Promittimus eciam Advocatis et Civibus Universis, quod nullum eis preficiemus Advocatum nec Specialem nec Generalem, sed cum aliquod negotium emerserit, quod majori inquisitione indigeat, vel intererimus vel alium de nostro latere pro eodem tantummodo finiendo negotio transmittemus. Volumus etiam et concedimus Civitati jam dicte, ut pro aratura et pascuis et aliis Usibus habeant Jure hereditario Villam, que communiter Ribitwy appellatur; cum omnibus ejusdem Ville pertinenciis, exceptis duntaxat lacubus. Item cum toto territorio, quod est inter Civitatem et fluuium Prudnyk per gyrum a Villa supradicta Ribitwy usque ad Villam nomine Crowodram, ita quod ex ipsa villa Crowodra cum suis pertinenciis includatur, salvo tamen jure episcopali, tam in terris et in molendinis, quam fluvio supradicto. In eodem etiam fluvio concedimus Advocatis, vel quibus ipsi contulerint, duo nostra molendina, et tercium, quod fuit olim Fratrum de Mechovia, nec non quartum, quod fuit de Andreow Monachorum, et si plura sint in eodem fluvio molendina sine aliorum tamen nocumento et prejudicio edificare poterint, eam eis jure hereditario concedimus potestatem. Ita, quod de qualibet rota tam presencium, quam futurorum molendinorum fertonem usualis tunc argenti nobis annuatim persolvere teneantur. Vsum etiam Wysle fluvii cum Ripa utraque a terminis Swerinicie usque ad terminos Claustri de Mogyla Civitati conferimus, ita, quod in eo quilibet piscari valeat libere, et sepe dicti Advocati tria molendina construere libere et ab omni solutione jureque hereditario possidere: excepto eo duntaxat, quod Annonam pro nostris expensis in eadem Civitate vel prope ipsam presertim ad tria milliaria consumandis molere teneantur, si quando in dicti spacio fluvii plura edificare voluerunt molendina de voluntate advocatorum sibi liceat et assensu ita tamen, ut dimidia marca usualis argenti nobis solvere annuatim de rota qualibet teneantur. Applicamus etiam in perpetuum usibus ejusdem Civitatis omnibus sylvam totam, que est in superiori parte Wisle, que Chwacymech vulgariter appellatur. Conferimus dictis Advocatis Triginta Mansos Franconicos liberos ab omni Solucione et Servicio et omni jure Ducali, et absque omni Censu jure hereditario possidendos. Et quia juris est, ut et actor forum rei sequi debeat, ordinamus et volumus, ut cum aliquem Civem dicte Civitatis querulari contigerit de Polono Cracoviensis Diecesis, Jus suum coram Poloni Judice prosequatur. E converso, si Polonus Civem in causam traxerit, et hanc Advocati exequantur sententiam, et dirimant questionem. Hoc etiam nobis iidem Advocati promiserunt, quod nullum adscriptitium nostrum vel Ecclesie seu cujuscunque alterius vel etiam Polonum liberum, qui in rure hactenus habitavit, faciant suum Concivem, ne hac occasione nostra vel episcopalia aut Canonicorum vel aliorum predia ruralia desolentur, hec eciam eisdem Advocatis et omnibus habitatoribus Civitatis ejusdem presentibus et futuris et eorum heredibus in perpetuum concedimus, eciam post eorum finitam libertatem, ut nullus eorum vadat vel mittat ad impugnandum aliquem, vel ad resistendum alicui extra Ducatum Cracoviensem secundum terminos ejusdem

dem Ducatus, quos nunc possidemus, vel postmodum possidebimus dante Deo. Volumus eciam et hanc injectam condicionem ipsi Civitati declaramus, ut monetarii quicunque fuerint, Domino Episcopo Prandote Cracoviensi et ejus Successoribus perpetuo nomine Cracoviensis Ecclesie sine omni difficultate etiam nobis irrequisitis persolvant integraliter, et sine diminutione decimam de Moneta, ut si quis hanc solutionem impediverit vel retardaverit, possit eum Episcopus Ecclesiastica Censura cohercere secundum terminos novem partium nobis vel nostris successoribus solvendarum. Hec omnia et singula promisimus, concessimus et donavimus Advocatis et eorum heredibus in perpetuum. Item Civibus Civitati et eorum Successoribus, a nobis et nostris succedaneis in perpetuum inviolabiliter observanda. Nulli ergo omnino homini liceat hanc nostre successionis donationis et promissionis paginam infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem Dei omnipotentis et beatorum Martyrum Stanyzlai et Wenceзlai et nostram se noverit incursurum. Ut autem hec omnia robur perpetuum optineant, presentibus, nostrum Sigillum et Venerabilis Patris nostri jam dicti P. Dei gracia Cracoviensis Episcopi et Capituli ejusdem Ecclesie nostrorumque Baronum, Comitis Ade Castellani, nec non Comitis Nicolai Palathini Cracowiensis duximus appendenda. Acta sunt hec in Colloquio juxta Villam, que Coposina vulgariter appellatur, Anno incarnationis Domini M°. CC°. L°. VII°, Nonas Junii. Presentibus Venerabili in Christo nostro sepe dicto Patre P. Episcopo Cracoviensi et prefato Comite Adam Castellano Cracoviensi, Fulcone Cancellario nostro, dicto Comite Nicolao Palatino Cracoviensi, Comite Joanne Judice Sendomiriensi, Comite Nicolao Judice Cracoviensi, Comite Warsone Dapifero Sandomiriensi, Lassota Preposito Scalbimiriensi, Twardozlao Subcancellario Curie nostre.

Haec de antiqua nostra Cracovia. Nunc ad Vos, Cives Academici, conversus, quartum rectoratus annum exorsus, pauca proloquar, ut, quae summam animo meo voluptatem pariant, cum laude Vestra, Vobis significem. Nemo Vestrum elapso primo triennio rectoratus mei abusus est tam politica, quam academica libertate, nemo punitus fuit, idem altero triennio fore, de Vobis confido et spero. Nostis enim, quam verum sit, quod praeclarus Romanorum Vates Catullus cecinerit: *Otium et luxuria reges prius et beatas perdidit urbes.* Illud perniciosum otium procul a Vobis erat hucusque, absit illa pestis et ulterius a Vobis. Variam nec stabilem dari otioso et luxurianti mentem, omnibus compertum est, notumque M. Catonis oraculum: *Homines nihil agendo, male agere discunt.* Dediti igitur jugi litterarum studio assidua diligentia Vestra, otii luxuriosi, quod teste Seneca vitam in odium adducere soleat, idemque pigritiam, egestatis nutricem et ignorantiae matrem gignat, scopulos feliciter vitavistis, quoniam ductu nostro pietas omnium virtutum fons et origo Vobis semper curae cordique fuit. Haec religiosa pietas cum morum probitate conjuncta, custos honestatis et conscientiae sola dedecus fugit, et laudem maxime consequitur. Ab hac ergo pietate ne latum quidem unguem discedite, Cives Academici, persuasi:

suasi: ab ea pendere felicitatem Vestram. Quod si feceritis, nunquam experiemini, quod Seneca in multis reprehendit: *vitae magnam partem elabi male agentibus, maximam nihil, agentibus, totam aliud agentibus.*

ORDO THEOLOGORUM.

Dominicus Markiewicz, S. Theol. J. Utr. et Phil. D. P. P. O. Canonicus Cathedr. Livonien. h. t. Fac. Theol. Decanus.

Hor. mat. 9—10. Theologiam moralem juri naturae accomodatam quotidie ex propriis scriptis tradet.

Hor. mat. 10—11. Theologiam pastoralem juxta Systema Lauberi praeleget.

Florianus Kudrewicz, Ord. S. Basilii, M., S. Theol. D. Sacrae Scripturae Prof. P. O.

Hor. mat. 10—11. quotidie tradet Archaeologiam biblicam, Hermeneuticam generalem et specialem et Exegesin Librorum Veteris Foederis.

Nicolaus Gilles, S. Theol. D. P. P. O.

Hor. mat. 8—9. Theologiam dogmaticam cum Prolegomenis profitebitur.

Matthaeus Kozlowski, Ord. Praedicator. S. Th. D. P. P. O.

Hor. mat. 11—12. exponet Historiam Ecclesiasticam methodo Gmeineri.

Nicolaus Janowski, Ord. S. Franc. Conventual. S. Theol. D. P. P. Extraordin.

Hor. pom. 3—4. tradet Theologiam moralem Christianam.

ORDO JURIS-CONSULTORUM.

Augustinus Boduszyński, J. U. D. P. P. O. h. t. Fac. Jurid. Decanus.

Hor. pom. 5—6½ quinis diebus excepto die Saturni Jus Romanum et Feudale docebit.

Valentinus Litwiński, J. U. D. P. P. O.

Hor. pom. ½5—6. iisdem diebus Codicem judiciarium civilem per semestre hiemale explicabit. Jus criminale autem per semestre aestivum.

Adamus Krzyżanowski, J. U. D. P. P. O.

Hor. pom. 3½—5. quotidie praeter diem Saturni exponet Jus Civile, Provinciale, Gentium Vicinarum et Cambiale.

Felix Słotwiński, Phil. et J. U. D. P. P. O.

Hor. pom. 3—4. quotidie, exceptis diebus Sabbathi et Festis, Jus naturae universum (privatum, civitatis et gentium).

Hor. mat. 8—9. diebus Martis, Jovis et Veneris Jus ecclesiasticum.

Nico

Nicolaus Hoszowski, J. U. D. P. P. S. h. t. Senator Reip. Crac.

Hor. mat. 9—10. quotidie disciplinas politicas tractabit.

ORDO MEDICORUM.

Franciscus Kostecki, P. P. Em. h. t. Decanus Fac. Medicae.

— — — — — — — — —

Adalbertus Georgius Boduszyński, Med. D. P. P. O. Reipubl. Crac. Protomedicus.

Praxin medicam auditoribus, quibus competet, in Instituto clinico, ab hora mat. 8. quotidie tradet,

Horis mat. 9—10. Therapiam generalem ac specialem morborum chronicorum duce Joh. Petro Frank; Pathologiam, duce Curt. Sprengel praeleget.

Ignatius Wozniakowski, Medic. Dr. P. P. O.

Materiam medicam diebus Lunae, Mercurii et Jovis ab hora mat. 10 ad 11.

Artem Obstetriciam diebus Martis et Veneris tradet.

Chirurgiam theoreticam docebit ternis diebus per hebdomadem ab hora pom. 5 ad 6 diebus Lunae, Martis et Mercurii.

Sebastianus Girtler, Phil. et Med. Dr. P. P. O.

Politiem medicam, dein Artem Veterinariam diebus Lunae, Martis et Jovis ab hora mat. 11 ad 12, iisdemque diebus pomeridie ab hora 5 ad 6 historiam medicam tradet.

Josephus Sawiczewski P. P. O.

Pharmaciam et Toxicologiam diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis ab hora mat. 9 ad 10 explicabit.

Josephus Kozłowski, Med. Dr. P. P. O.

Anatomiam, deinde Physiologiam quotidie, excepto die Saturni ab hora mat. 11 ad 12 tradet. Medicinam forensem diebus Veneris hor. 3—4. Institutiones medico-chirurgicas diebus Lunae et Mercurii hor. pom. 3—4. in usum Candidatorum Chirurgiae inferioris.

Nicolaus Corde.

Hor. pom. 3—4. Operationes chirurgicas, usum instrumentorum et fasciarum diebus Martis, Jovis et Saturni demonstrabit.

Horis mat. 8—9. diebus Lunae, Mercurii et Veneris Clinicen chirurgicam et obstetriciam tradet.

ORDO

ORDO PHILOSOPHORUM.

I.) FACULTATIS MATHEMATICAE ET PHYSICAE.

Aloisius Estreicher, Phil. et Med. Dr. P. P. O. h. t. Decanus Facult. Phil. Mathemat. et Phys.

Hor. mat. 10—11. quotidie exponet Zoologiam per semestre hiemale.

Hor. mat. 7—8. Botanicen tradet per semestre aestivum.

Hor. pom. 6—8. exercitationes botanicas instituet, et ad botanices practicae usum manu ducet, atque dendrologiae et melologiae rudimenta exponet.

Carolus Hube, Phil. Dr. P. P. O. Matheseos sublimioris, h. t. Senator Reipublicae Cracov.

Hor. mat. 8—9. quotidie tradet theoriam aequationum, Trigonometriam sphaericam et Geometriam analyticam.

Semestri aestivo calculum differentialem exponet.

Hor. mat. 9—10. diebus Veneris et Saturni calculum integralem docebit ejusque applicationem ad Physicam et Mechanicam ostendet.

Josephus Łęski, Phil. D. Astronomiae Professor, P. O.

Hor. mat. 10—11. quotidie praeter diem Saturni tradet I.) Astronomiam duce J. G. F. Bohnenberger (Astronomie Tüb. 1811.)

II.) Artem delineandi mappas geographicas ad projectionem stereographicam.

Josephus Markowski, Phil. et Med. D. Professor Chemiae P. O.

Hor. mat. 11—12. diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis Chemiam theoreticam et practicam cum experimentis exponet.

Iisdem horis diebus Veneris et Saturni Mineralogiam.

Romanus Markiewicz, Phil. D. Professor Physices P. O.

Hor. mat. 9—10. quotidie Physicam mechanicam et Geographiam physicam duce Remigio Doettlero tradet.

Franciscus Sapalski P. P.

Hor. pom. 12—1. profitebitur Geometriam descriptivam per semestre hyemale.

Mechanicam et Hydraulicam per semestre aestivale.

Hor. mat. 8—9. quotidie Algebram et Trigonometriam.

II.) FACULTATIS LITERARIAE.

Julianus Czermiński, Phil. D. Professor Historiarum, P. P. O. h. t. Decanus.

Hor. mat. 10—11 quotidie: I.) enarrabit historiam antiquiorem et recentiorem. II.) Geographiam physicam et politicam. III.) docebit artem criticam, quae ad legendos historicos est necessaria. IV.) literarum et scientiarum progressum demonstrabit.

Geor-

Georgius Samuel Bandtkie, Phil. D. P. P. O. Bibliographiae et Bibliothecarius.

Hor. pom. 2—3. die Mercurii et Veneris, hor. mat. 8—9 die Saturni Bibliographiam profitebitur.

Collegium styli cultioris duce Beckio (*Artis latine scribendi praecepta Lipsiae* 1802) et disputatoria philologica et historica cum selectis juvenibus instituet diebus Lunae, et Mercurii hor. mat. 8—9, Saturni hor. 9—10.

Idem semestri aestivo horis definiendis comparationem dialectorum Slavicarum e suppelectile sua qualicunque literaria Slavica Juvenibus vernacularum linguarum philomathibus ostendere conabitur.

Paulus Czaykowski, Phil. D. Literaturae Polonicae P. P. O.

Hor. mat. 10—11. traditis praeceptis eloquentiae et poëseos, per classicorum Auctorum exempla illustratis, Auditores ad exercitia Linguae Patriae in utroque orationis genere ducet.

Petrus Boucher, Canonicus Cath. Kielcensis, Phil. D. P. P. Extraord.

Hor. pom. 2—3. die Lunae et Veneris tradet praecepta Linguae Gallicae et versionis, ex linguis Polonica et Latina in linguam Gallicam, nec non docebit theoriam literarum elegantiorum ad normam Auctorum classicorum Nominis Gallici et Latini.

Extra ordinem profectiores in styli cultioris Gallici adyta, more suo consueto et probato horis, quae Auditoribus congruent, introducet.

Hermannus Schugt, Phil. D. P. P. O.

Hor. pom. 2—3. diebus Lunae, Martis et Mercurii explicabit Hesiodi opera et dies.

Iisdem horis diebus Jovis, Veneris et Saturni Horatii epistolas.

Semestri aestivo exponet antiquitates Romanas.

Josephus Jankowski, J. U. D. P. P. S.

Hor. pom. 3—4 quotidie docebit Logicam, Metaphysicam, Ethicam, Historiam Philosophiae et Paedagogicam.

Lectorium in Bibliotheca publica Univ. Cracov. patebit hor. pom. 2—4 hyemali, hor. 3—5 aestivo semestri, diebus Lunae, Martis et Jovis, Hospitibus vero extraneis, qui Bibliothecam, Musea, Speculam Astronomicam et Hortos Botanicos invisere cupiunt, nulla hora praefinita est, dummodo tempus praelectionibus sacrum Bibliothecario et Praefectis Museorum Mineralogici et Zoologici et Horti Botan. condonare velint. Quovis tempore de commoda hora certiores facti curiosis hospitibus nunquam deerunt.

Docebit *Josephus Peszke*, Prof. P. O. artem pictoriam cum theoria artium duce Winkelmanno Polonico Ill. Comitis Stanislai Potocki. Winkelmann Polski Tom. I. II. III., 8vo. hor. mat. 9—11. *Josephus Brodowski*, Prof. P. O. artem delineandi et pingendi ad exempla antiquarum statuarum horis pom. 1—2. semestri brumali; horis mat. 7—8. semestri aestivo, Linguam Anglicam tradet *Hermannus Schugt*, Germanicam *Ludovicus Teichmann* horis pom. 4—5, Italicam *Stephanus Laberi* horis def. Linguam Russicam . . . . Artem arma tractandi *Alexander Tavernier* horis pom. 2—3 quater per hebdomadem, artem saltandi *Franciscus Couder* horis pom. 3—4, artem equitandi *Joannes Mützel* horis pom. 4—5.